



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Cavit Deus ut essent calceati, ne in calceis foret mora, cum ab Ægyptiis expellerentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

Pariter veteres, cum domi latitabant, discalceati fuerunt, qui tamen ubi foras prodeundum, aut iter aliquod suscipiendum esset calceos sumebant. Id Deus cavet ut etiam facerent ea nocte, qua agnum Paschalem comefuri erant, atque ut lumbos succinctos & baculos in manibus eos habere iussit, ita etiam de calceis præcepit. Ad omnia enim voluit paratos, quæ ad iter suscipiendum requirebantur, ne si festinanter ab Ægyptiis expellerentur, de re aliqua forent solliciti. Quare additum quoque est, ut agnum ^{pascha} in festinatione comederent, ne cæna media tantum peracta excedere cogerentur. Quorum omnium rationem hanc dedit Deus: *Pascha est Jehovah, & transibo hac nocte terram Ægypti, & percutiam omnes primogenitos in terra Ægypti ab homine usque ad jumenta.* Hæc enim verba manifestam continent eorum rituum rationem, quos præcepit Deus: Quasi dicat, omnibus rebus oportet vos instructos, quæ ad iter aggrediendum requiruntur, ut, quod solent viatores, & lum-
bos

LIBER SECUNDUS. 247

bos succinctos, & calceos in pe-
 dibus, & baculos in manibus ha-
 beatis, & agnum edatis festinan-
 ter. Est enim Pascha, sive tran-
 situs Jehovæ, & ego hac nocte
 omnium primigenitorum diro inte-
 ritu universam Ægyptum reddam
 funestam, unde vos Ægyptii, tot
 mortibus territi, coacturi sunt ad
 celerem exitum, imo fere finibus
 suis ejecturi. Quare nullam in
 vobis moræ causam volo, ut vel
 lumbos succingere, vel calceos in-
 duere, vel baculum capere sit ne-
 cesse. Hæc mihi semper visa est
 huius instituti ratio. Quod qui-
 dem ex eo confirmari potest, quod
 ad primum Pascha in Ægypto ce-
 lebratum, Judæorum magistri hunc
 ritum tantum pertinuisse volunt.
 Quorum opinio nequaquam caret
 evidenti ratione, cum plurima sua-
 deant non pertinuisse ad religionem
 festi, sed symbola fuisse instantis
 itineris. Sane hi ritus nunquam
 in legibus anniversariis de Pascha
 te repetuntur. Sunt videlicet, ut
 & sanguinis aspersio, pro illo tan-
 tum tempore imperati. Quare &
 à Judæis, dum Pascha suum cele-
 brant,